

LVDOLFI  
SCHWARTZ-  
MAIERI A SCHIVVAR-  
TZENAV, IC. EVITIS AVRA-  
TI ET CONSILIARI CAESA-  
rei Regij

NOTATIVCVLAE  
AD  
TIT. COD.  
DE NUPTIIS.



*Cum Gratia & Privilegio Caesaris ad decennium.*

FRANCOFORTI,  
Ex Officina Typographica Nicolai B.

Anno M. D. XCVIII.

LIBRERIA  
UNIVERSITARIA  
DE  
GRANADA

LVDVICI  
SCHVVRTZ-  
MAIERI A SCHVVAR-  
TZENAV, IC. EQVITIS AVRA-  
TI ET CONSILIARII CAESA-  
rei Regijque,

NOTATIVNCVLAE  
AD

TIT. COD.

DE NVP TIIS.



*Cum Gratia & Privilegio Casareo ad decennium.*

FRANCOFORTI,

Ex Officina Typographica Nicolai B...

Anno M. D. XCVIII.





ILLVSTRISSI  
MIS ET GENEROSIS  
REGNI BOEMIAE PROCERI-  
bus & Sacratiff. Rom. Imperatoris Rv-  
DOLPHI II. Officialibus & Con-  
siliarijs Prouincialibus &c Do-  
minis meis obser-  
uandissimis.



VM Magistratus offi-  
cium, Viri Illustrissimi  
& Generosi summū sit  
& à Deo ipso ordinatum, vt qui  
Imperatoris vices gerit, cū ei om-  
nes & singuli Christiani sint sub-  
iecti, & hanc ipsam ob causā sū-

A r mum



mum in eos imperium & regnandi  
 ac ius ipsis dicendi potestatem ha-  
 beat, merito prudentes & sapien-  
 tes consiliarios sibi adsumit. Idque  
 non sine ratione fit, cum nullum ma-  
 ius boni imperij instrumentum ex-  
 sistat, quam amici boni. Debet  
 autem in eligendo summum iudi-  
 cium adhiberi, & praesertim tales,  
 qui fidi & rerum hominumque  
 periti consilia salutaria pacis bel-  
 lique temporibus suggerere po-  
 sunt, legis; Hominum morumque  
 debent esse gnari cum rempub-  
 licam nosse, ad consilium recte  
 dandum caput sit. Nec facile exteri  
 eligendi sint, cum illis neque ho-  
 mines neque eorum mores multo  
 minus status Reipub. cognitus sit,  
 & Rem.

& Rempublicam magis disturbent  
 & deuaſtent, quam eam iuuent, at-  
 que plerunque seditiones moue-  
 ant, & nouitates introducant. se-  
 nes quoque & aetate grades & qui-  
 bus cum fortuna lufit, legendos  
 esse non male Plutarchus statuit,  
 cum hi mala perpeſſi etiam aliis de  
 aduerſa fortuna querentibus faci-  
 lius credant, illis vero ingenium fit  
 ſapientiam validum. Nec facile ex ple-  
 be aut obſcuris parentibus, ſed  
 bono genere & loco nati in con-  
 ſilium recipiendi ſunt, cum ex for-  
 tibus plerunque fortes, & ex bo-  
 nis bonos procreari, ac liberos  
 parentibus ac maioribus ſuis ſi-  
 miles generari probabile, & ex vi-  
 ris optimis optima conſilia pro-

proficisci probabile sit. Oportet quoque eos, qui recte magistratum accepturi sunt, ab adulescentia probatos & immaculatos existisse, suæque vitæ bene peractæ ac virtutum & studiorum testimonia certa habere. Nam ut Cicero ait, ea est vera laus & commendatio, quæ à viris laudatis & probatis proficiscitur. Non minus etiam pietas in Consiliario requiritur, ita ut is veram teneat fidem & religionem, non autem hæresi adhæreat, aut aliam religionem quæ prohibita & falsa est, amplectatur. Nihil enim est, quod lumine clariore præfulgeat, quàm recta fides in Consiliario. Libertatē etiam non seruitutem

in

in Consiliario desidero, ne si servus sit, ad nutum & placitum domini consulens, ad necem & interitum ipsius sub metu indignationis consulat. In primis autem Adulatores, delatores & adsentatores non acceptandi sunt, qui Principis aulam totam corrumpunt & in nihilum reddunt. Garrulitas improbatur ab omnibus: vice versa os pressum laudatur. Cum etenim res magnæ & graves sustinendæ sint, ab eo, cui tacere græue est, eas sustineri non posse Valerius tradit. In primis autem princeps sibi de ijs Consiliarijs prospicere debet quos natura non notavit. Gibbosi enim naturam aut alio vitio corporis insigniti, ideo non acci-

A 4 piendi

piendi, quia à Deo hunc in finem  
 vt homines probi eorum fucos  
 & frustraneos sermones ac facta  
 nefaria, consultationes incom-  
 modas, conpirationes ué erga  
 superiores præcauere possint,  
 maculâ illâ notati sunt. Et certe  
 experiētia testatur, eiusmodi ho-  
 mines semper aliquid mali & de-  
 trimenti rebus publ. attulisse. De  
 constantia, modestia & aliis con-  
 siliarij virtutibus necessarijs non  
 dicam, ne præfatio notatiunculis  
 longior fiat. Fas vobis dico, addi-  
 co, quia ad gubernacula totius  
 Romani imperij sedetis, & Impe-  
 ratori nostro inuictissimo, vt eius  
 maiest. cor & robur, bene consu-  
 litis, mihi que semper optimè vo-  
 luistis,

luistis, ac nunc quidem bene  
 cupitis, & quod summum est,  
 omnibus & singulis prædictis  
 virtutibus præter omnes alios  
 præditi estis. Vt idcirco maximè  
 respiciendi sitis, & vobis merito  
 mei grati & prompti animi de-  
 clarationem debeā, meque sub-  
 misse cōmendem. Praga, XXI.  
 Decembris. Anno cl. lb. IIc.

*Vestr. Illustr. Et Gen.  
 Dom.*

Obseruant.

*Ludovicus Schwartzmaier  
 à Schwarzenau.*

A 5 PRI-



**PRIVILEGIUM CAESAREVM SVPER MISCELLANEA Iuris & obseruationes Practicas Ludouici Schvartzmaieri IC. &c.**

**R**odolphus Secundus, diuina fauente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germania, Hungaria, Bohemia, Dalmatia, Croatia, Sclauonia, &c. Rex, Archidux Austria, Dux Burgundia, Stiria, Carinthia, Carniola & Wirtembergae, &c. Comes Tirolis, &c. Notum facimus tenore presentium vniuersis. Quod cum nobis humiliter exposuerit Honorabilis, Doctus, fidelis nobis dilectus, Ludouicus Schvartzmaier, Iuris Vtriusque Doctus, & Appellationum in Regno nostro Bohemiae Consiliarius, se pro communi usu ac bono publico nonnulla opera, videlicet Commentarios in ius ciuile, & libros Miscellaneorum Iuris ac obseruationum Practicarum in lucem edidisse, vereri autem ne emuli forte aliqui ipsum vel vitiosa imitatione, vel aliis

nistris,

**TENOR PRIVILEGII. II**

nistris artibus sperato laborum suorum fructu & emolumento priuaturi sint: demisse proinde supplicando, ut sua hoc loci indemnitati Privilegio nostro Caesareo consulere clementer dignaremur. Nos sane pro benigna ea animi affectione, qua praefatum Doctorem Schvartzmaier, tum ob claram generis originem, insigniaque virtutum merita, tum vero ob fidelitatem & gratam, quae nobis haecenus diuersis occasionibus, praesertim in memorato Consilij officio praestitit, ac etiamnum singulari cum eruditionis laude & satisfactione nostra praestat obsequia, complectimur, humilibus eiusdem precibus deesse noluimus. Ac proinde autoritate nostra Caesarea & Regia omnibus & singulis Typographis, bibliopolis ac alijs quamcunque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus atque vetamus, ne quis memoratos libros per decem annorum spatium, à prima cuiuslibet editionis die computandum intra Sacri Romani Imperij Regnorumque & dominiorum nostrorum hereditariorum fines, simili aut alio quopiam caractere vel forma, siue in toto siue in parte recudere, aut alio recudendos dare, vel alibi etiam

12 TENOR PRIVILEGII

bi etiã impressos adducere, vendere, distrabere, ue, clam vel occultè, citra voluntatem & consensus præfati Doctõris Schvartzmaier suorumuè heredum præsumat. Si quis vero secus faciendo, Priuilegium & interdictum hoc nostrum Casareum spernere, negligere aut transgredi conatus fuerit, eum non solũ huiusmodi libris, perperã quippè recusis & adductis (quos quidem suprãdictus Doctõr Schvartzmaier aut hæ redes ipsius, eorumuè mandatarij ubicunque deprehensos, vel propria auctoritate, quam illis hac in parte tribuimus, vel Magistratus loci illius auxilio sibi vindicare poterunt) de factõ priuandum, sed & pœna insuper decem Marcharum auri puri, fisco nostro Casareo, fraudis vindici, & sæpèfati Doctõris Schvartzmaier, suorumuè heredum vsibus, ex æquo pendenda, decernimus irremissibiliter plectendum. Dummodò tamen idem Doctõr Schvartzmaier terna ad minus cuiuslibet operis exemplaria propriis suis sumptibus quàm primum ad Cancellariam nostram Imperiale transmittere teneatur, quatenus Priuilegio hoc nostro uti voluerit. Mandamus ergò vniuersis nostris

IMPERATORII.

13

nostris ac Sacri Romani Imperij, Regnorumque & Dominiorum nostrorum hereditariorum subditis & fidelibus dilectis, cuiuscunque status, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis aut præeminentia, existant, tam Ecclesiasticis quàm secularibus, præsertim verò ijs, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel superiorum suorum nomine & loco Iuris ac iustitiæ administrationem exercent, ne quenquam Priuilegiũ hoc nostrũ Casareũ temerè aut impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, si quos cõpererint, præscripta pœna plecti, alijsq; idoneis modis coerceri curèt. Quatenus & ipsi eandẽ mulctã euitare maluerint. Harũ testimonio literarum manu nostra subscriptarum, ac sigilli nostri Casarei impressione munitarum. Datũ in arce nostra Regia Praga, die vigesima tertia Mensis Septembris, Anno Domini Millesimo quingentesimo nonagesimo sexto. Regnorum nostrorum, Romani vigesimo primo, Hungarici vigesimo quarto, Bohemici verò vigesimo secundo.

Rudolphus.

Io. VV. Freymond.

Ad Mandatum Sacræ Cæs.  
Mai. proprium.

A Benck.





L V D O V I C I  
S C H V V A R T Z M A I E  
R I A S C H V V A R T Z E N A V

IC. Equitis Aurati & Consiliarij Cæ-  
farei, Regijque,

NOTATIUNCVLAE

A D

T I T. C O D.

D E N V P T I I S.

LEX I.

*Cum de nuptiis puella quaeritur, nec inter tutorem & matrem & propinquos de eligendo futuro marito convenit: arbitrium Praesidis provinciae necessarium est.*

**S**pecies facti est, quod filia quaedam pubertati proxima, cum adhuc sub matris & tutoris esset tutela, de mariti electione ut cogitent eosdem

AD TIT. COD. DE NVPTIIS. 15

eosdem compellarit, inter quos matre Achillem, tutore Hannibalem eligente lis orta fuerit, cuius finiendae causa filia Imp. Severum & Antoninum adiuit, ut sibi hac in parte consuleretur. Hi rescripsere arbitrium Praesidis provinciae ad eligendum & de utilitate filiae cogitandum necessarium esse. Ratio dubitandi erat, tum quod puella nubere volebat, tum quod matris & tutoris auctoritas honestatis causa requireretur. Ratio vero decidendi fuit, quia praeses loci ordinarius, de statu & conditione eligendi eruditus, optimeque quinam puellae esset aptior & paterfamilias melior, diiudicare posset. l. 3. §. ult. D. de administrat. tut. Vocant autem Praesidem provinciae eum qui provinciae praest, & est nomen Praesidis generale. In pandectis mentio fit Praesidum Daciae, Mysiae, Syriarum, Hispaniae, Britanniae. l. 3. D. de offic. assess. l. 8. D. de captivis & postlim. reuers. l. 7. §. quibusdam. & §. interdicere. D. de interd. & releg. l. 2. §. ult. D. de vulg. & pupil. substit. l. 1. D. de administrat. rer. ad civit.

*ciuit. l. II. Cod. de donationib. l. cū iurpē iurp. D. de  
appel. in l. I. de offic. pras.* Præsides appellan-  
tur Proconsules & legati, omnesque qui  
prouincias Imperatoris regunt. Sic pro-  
consul Cretæ, cuius *l. 14. D. ad SC. Turpil.*  
meminit, ab Agellio *lib. 2. Noct. Acticar. c.*  
*2.* præsides dicitur. Requiritur ergo ad eligē-  
dū, Præsidis arbitrium, hoc est, præsidalis  
notio, secundum quam eiusmodi lis de-  
cidi debet. *l. 13. C. de liber. cau.*

## LEX II.

*Si nuptiis pater tuus consen-  
sit: nihil oberit tibi quod instru-  
mento ad matrimonium perti-  
nenti non subscripsit.*

**S**ine consensus parentum in con-  
trahendo matrimonio filiorum  
requiritur, adeo ut liberi si sine  
parentū consensu aut ducant vxorem vel  
nubant, exhæredari queant. *Novell. 115. §.*  
*Sancimus.* ut autem firmior dotis promissio  
exsolueretur, liberique onera matri-

monij

monium pertinens, siue pacta dotalia,  
extare voluerunt, ut jis hisce consulere-  
tur & subueniretur, nec parētes, si instru-  
menta non exstarent, liberos, prouisa do-  
te, defraudare quirent. Cum autem sub-  
scriptione instrumenti opus sit, si fortè  
parens eā neglexerit, quæritur, an nihilo-  
minus instrumentum vigorem obtine-  
at, & intermissio subscriptionis filia non  
noceat? Et respondetur, consensum suf-  
ficere. Ratio dubitandi est, quia instru-  
menta debeant esse solennia, & in iisdem  
omnia requisita obseruari, & non tantū  
dies & annus, sed & subscriptio eidem in-  
seri. *l. si quis sponderit, Cod. de inutilib. stip.*  
Ratio tamen decidendi, quia consensus  
patris intercesserit, & nuptiæ iam celebra-  
tæ sint, *hac l. 2.*

Quod de parentum consensu dictum,  
ita intelligendum est, quod iure ciuili sal-  
tem honestatis causa, iure autem Cano-  
nico necessariò requiratur. Ratio prioris,  
quippe parentibus à liberis saltem honos  
& reuerentia, dum in eorum potestate &

B

impu-

impuberes sunt, debeatur, & in primis mater nullam in liberos potestatem habeat: posterioris: quia matrimonium à Deo ordinatum sit.

## LEX III.

*Libertum qui patronam seu patroni filiam vel coniugē vel neptem vel proneptem uxorem ducere ausus est: apud competentem iudicem accusare poteris, moribus temporū meorum congruentem sententiam daturum, quæ huiusmodi coniunctiones odiosas esse meritò duxerunt.*

**S**icut bonis moribus conuenit, reuerentiam manumissoris uxori præberi, & re exigente, propterea in ius eam sine permisso prætoris vocari prohibitum est. *l. i. Cod. de in ius vocand. ita etiam patronam, seu patroni filiam, vel coniugem, vel neptem, vel proneptem li-*  
bertus

bertus ducere prohibetur, & si talem fortè ducere conatur, apud competentem iudicem accusari, & conueniri potest, qui sententiam feret iustam & æquam. Et hæc sententia legis est. Ratio dubitandi, quia si patrona tam ignobilis sit, vt ei honestæ sint vel saltem liberti sui nuptiæ, officio iudicis super hoc cognoscentis hæc prohiberi non debeant. *l. si patrona. D. de rit. nupt.* Ratio autem decidendi, quia reuerentia patronæ, & aliis suprâ nominatis personis debeatur. *d. l. i. Cod. de in ius voc.* Nec obstat dubitandi ratio. Hæc enim *l. 3.* loquitur de Patronis, patroni filia, coniuge, (quam viduam potius, cū vna duorum viuentium maritorum coniux esse nequeat, nominauerim) nepte vel pronepte nobili: cum Lex: *si patrona.* de ignobili intelligenda sit, cuius rei gratia etiam coniunctiones peiores, quæ nempe inter ingenuam & nobilem, & seruum siue ignobilem intercedunt, odiosæ vocantur. Ait autem competentem iudicem esse adeundum, ne si incompetens interpel-


B 2 letur,



lectur, ab eodem sententia congruens dari nequeat, cum extra territorium nemini ius dicere liceat. *l. extra territorium. D. de iurisdic.*

## LEX IV.

*Liberi concubinas parentum suorum uxores ducere non possunt: quia minus religiosam & probabilem rem facere videntur. Qui si contra hoc fecerint, crimen stupri committunt.*

 Lim sine uxore constitutus concubinam & eiusdem loco etiam ancillam suam habere poterat, & si eiusdem consuetudine usque ad mortem usus esset, & liberos ex ea sustulisset, licet ancilla fuerit, in seruitutem a defuncti hæredibus deduci non poterant, adeo Iustiniani Imp. prædecessorū tempore concubinitas in pretio erat. *l. vii. Cod. de concubin. l. si quis sine. C. communia de manumissionib.* Cum autem parens quidam concubinam haberet, ipso mortuo, filius

filius eam ducere volebat, cuius propositum Imperator Alexander hac in lege improbat, & ut ab eo desistat, rescribit. Ratio dubitandi est, quia ex eiusmodi illicito coitu nec matrimonium, nec affinitas contrahatur, & propterea honestas publica minimè lædatur. *l. semper in coniunctionib. D. de ritu nupt. l. semper. D. de reg. iur.* Ratio vero decidendi in ipsa *l.* expressa est duplex, cum, quia talis coniunctio minus religiosa, tum quia minus probabilis sit, & hodie iure canonico non tantum ex eiusmodi illicito, sed etiam ex nefario coitu affinitas oriatur, quæ matrimonium filij cum patris concubina contrahendum impediatur. *l. pen. extra de eo qui cognou. consangu. uxor. sua. & c. per tuas extra de probationib.* Ut autem filius eam uxorem ducere nequit, ita quoque non rectè facit, si eam in suum concubinitum recipiat. *l. i. D. de concubin.* Ratio, quippe & huiusmodi coniunctio propè nefaria sit. *d. l. i. §. si qua.* Quod si ergo filius patris concubinam ducat, stupri crimen

committit, & poenam legis Iuliae de stupro incurrit. Inquies? Cur non potius adulterium vel incestum committit? Respondeo, adulterium proprie in nuptam propter partum ex altero conceptum; incestum verò in his quas moribus prohibemur uxores ducere, & parentum loco habemus: Deniq; stuprum in virginem vel viduam committi. *l. inter liberos. §. lex stuprum. D. ad L. Iul. de adulter. & l. sororis. D. de rit. nupt.* At patris concubinam post eius mortem sub nomine viduae comprehendi, & idcirco adulterium in eam committi non posse. *dd. ll.*

## LEX V.

*Si, ut proponis, pater quondam mariti tui, in cuius fuit potestate, cognitis nuptiis vestris, non contradixit: vereri non debes, ne nepotem suum non adnoscat.*



Antonius Contius rectius legendum esse putat: vereri non debes.

bes, nepotem suum non adnoscat. Idque exemplo *l. 59. D. de iure dot.* Vbi in pandectis Florentinis legitur: *Vereor non sit obligatus.* Et rectè; ut enim Grammatici in scholis docent, vocabulū *NE*, post verbum, *vereor*, positum, affirmatiuè concludere: ita tres negationes illas in fine legis positas simul consistere non posse, sed hanc potius legis sententiam esse, autumo; Si socer cognitis sui filij cū nuru contractis nuptijs, ijs non contradixerit, nurum vereri non debere, ne socer nepotem suum agnoscat. Ratio dubitandi est, quia nuptiæ consistere non possunt, nisi omnes consentiant, & qui coeunt, & quorum in potestate sunt. *l. nuptia. D. de rit. nupt.* Ratio decidendi in *l. in sponsalib. D. de sponsalib.* redditur, quia semper pater consentire nuptijs filij intelligatur, nisi euidenter dissentiat. Et aliàs aperti iuris est, quod qui scit aliquē contractum, transactionem vel nuptias fieri, omnino consentire videatur. *l. item queritur. §. quod autem D. locati conducti.* Nec obstat dubitandi ratio, Ibi enim parens

expresse contradixerat: At hic in nuptias non quidem diserte consenserat, easdem tamen fieri non prohibuerat. Hinc etiam Cicero in Catilin. *Quid expectas*, inquit, *loquentium auctoritatem, quorum voluntatem tacitorum perspicias?* Et I.C. Paulus eum qui tacet, non utique fateri, sed tamen eum non negare, verum esse ait. *l. qui tacet. D. de reg. iur.* & Vlpiano vetare dicitur, qui expresse non consentit. *l. qui vas argenteum. §. vetare de furtis*, Sic Labeo in *l. si quis P. eod.* tradit, Eum, qui sciens, quid sibi subripi, si non prohibuerit, furti agere non posse. Ut autem mariti: ita etiam uxoris pater nepotem suum adnoscere tenetur, si nuptijs filiae non cōtradixerit. *d. l. in sponsalib. D. de sponsalib.* Vbi enim eadem est ratio, ibi idem ius esse, & ad eandem lex extendi debet. *l. 1. §. quod vulgò. D. de vi & vi arm.*

## LEX VI.

*Et si contra mandata principum contractum sit in provin-*  
cia

*cia consentiente muliere matrimonium: tamen post depositum officium, si in eadem voluntate perseveraverit, iusta nuptia efficiuntur: Et ideo postea liberos susceptos, natosq; ex iusto matrimonio legitimos esse, responsum viri prudentissimi Pauli declarat.*

**M** Andata principum praecepta appellatur principum, quae Praesidibus in prouincias proficiscētibis dabantur, quibus omnia quae eorum muneri & officio incumbebant, continebantur. *l. 1. & 3. D. de collegijs. l. 3. §. 1. D. de donationib. int. vir. & vx. l. 35. D. pæn.* Quae equidem ab eorundem constitutionibus plurimum differunt, cum eas ita accipiamus, quodcunque Imperatores vel per Epistolam & subscriptionem statuerunt, vel cognoscentes decreuerunt, vel de plano interlocuti sunt, vel Edicto



præceperunt. *l. 1. D. de constitut. princip. l. 29. D. ad SC. Trebell. l. 5. D. de manumiss. l. 8. §. Si quis impubes. D. de inoff. testam.* Et hæc quidem omnes ligant, cum prioribus saltim Præses provinciæ parere teneatur. Est autem huius *l.* facti species, quod quidam Prouinciæ Præses aliunde oriundus, cum muliere in Imperatoris sui prouincia, suæ iurisdictioni subiecta, matrimonium contraxerit, idq; postea consummare voluerit. Cuius proposito Imperatori relato, eiusmodi matrimonium consistere non posse, respondit, nisi Præses prouinciæ officium suum deposuerit, & post eiusdem depositionem in eadem voluntate permanserit. Cum autem illa moueretur quæstio, an ex huiusmodi matrimonio suscepti & nati liberi legitimi essent, Imperator IC. Pauli sententiam quæ extat *in l. eos qui. 65. D. de rit. nupt.* secutus, pro legitimis eos habendos rescripsit. Licet verò neq; ex hac neq; ex seqq. duabus legibus, quò tempore latae sint, pateat, vixit tamen hic Imperator M. An-

M. Antoninus Gordianus Iunior Gordiani maioris ex filia nepos circa annos ab vrbe condita 991. & à nato Christo 240. fuitq; Princeps optimus, septimo Imperij anno, insidijs Philippi præfecti militum interfectus, prout hæc ab Imperatoris nostri clementissimi & Romani Imperij vice Cancellario Dn. Ioanne Guolfango Freymonio, in symphonia juris in vita Gordiani referuntur. Est autem superiorum decisionum dubitandi ratio duplex: tum quia peregrinus erat & gubernabat, ideoq; facilè sponsam ad contrahendum matrimonium, ipsius parentes verò in id consentiendum cogere poterat. *l. si quis officium. D. de rit. nupt.* tum quia Imperator, ne suæ iurisdictioni subiectam Præfectus duceret, prohibuerat. *d. l. eos qui. D. eod.* Rationes tamè decidendi sunt, quia officium iam deposuerat, in eadem voluntate perseueraverat, consensum suum Imperator dederat, & aliàs matrimonij fauor magnus est, vt potius propter affectionem personarum illud iuuandum quàm impediendum sit. *l. Gaius Seius. 45. D. sol. matr.*

Nec obstant dubitandi rationes: Cessante enim causa, nempe officio publico, cessat etiam effectus, nimirum matrimonij obstaculum. Iurisconsultum Paulum vocat Imperator virum prudentissimum. Fuit enim tantus, ut Vlpianum, quem Imp. Alexander in l. 4. C. de contrah. stipulat. amicum suum nominat, prope modum virtute & fortuna adæquauerit. Eiusdem Alexandri Principis consiliarium & Papiniani Prætorio Præfecti vna cum Vlpiano Assessorem egit. Id quod præter Lampridium, ipsum quoque Paulum in l. lecta. D. de reb. dub. testatum facere idem Freymonius in symphonia juris in Iulii Pauli vita tradit.

## LEX VII.

*Si (ut proponis) post querelam de marito à filia tua ad te delatam, dissolutum est matrimonium, nec te consentiente ad eundem regressa est: minus legiti-*

*tima*

*tima coniunctio est cessante patris voluntate, in cuius est potestate, atque ideo non petente filia petitionem dotis repetere non prohiberis.*

**H**ÆC l. ab eodem Imperatore Gordiano sine die & consule lata est, & ait diuortio inter maritum & uxorem facto, si hæc ad illum regressi voluerit, uxorem non secus atque si ad prima vota transiret, consensu patris opus habere, & si eum petere neglexerit parenti, dotis repetitionem competere. Ratio dubitandi est, quia iure Canonico consensus parentum in contrahendis nuptijs nequaquam desideratur. c. sufficiat 27. quest. 2. c. cum causa, extra. de rapt. Ratio vero decidendi, quia non concubitus, sed consensus nuptias faciat. l. cui fuerit 15. D. de condit. & demonst. & quidem non tantum contrahentium, sed etiam parentum, cum ut Imp. ait, & civilis & naturalis ratio suadeat, ut iussus paren.

parentum præcedat. *§. iustas. instit. de nupt.* Addit autem Imp. Hoc non accedente, à patre dotis repetitionem fieri posse. Cui expressè *l. cum maritus 29. D. de pacti. dotalib.* refragatur, in qua Titius mulieris nomine dotem dedisse, idemq; in casum mortis & diuortij stipulatus esse: diuortio secuto, non repetita dote, decessisse; & mulier ex voluntate heredis eius reintegrasse matrimonium, hincq; quæsitum esse, an ex stipulatu dotem repetere possit? dicitur. Et respondit Scauola, heredem Titij, si consensisset ut ea quantitas dotis, quam ex stipulatu confectui potuerat, reconciliato matrimonio fieret: posse pacti exceptione submoueri. Sed respondeo. Nostram legem de patris: alteram vero de heredis consensu accipiendam. Prætereà in illa patrem nondum: At in hac etiam heredem consensisse. Et demum parentum, non etiam eorum heredum consensum necessarium esse. Postremò, ad maiorem consensu evidentiam in *d. l. cum maritus. heredem*

redem cum reconciliata pepigisse. In *l. si ut proponis.* nullam de reconciliatione futura pactiois mentionem apud patrem vnquam factam esse. Quæritur si filia in dotis repetitionem consentire nolit, cui ea competat? Distinguo. Aut in potestate patris adhuc filia constituta est: aut non: priori casu, licet filia consentiat, nihilominus penes patrem erit repetitio. Posteriori, pater non aliter quàm ex voluntate filiae, nec per se, nec per procuratorem eam repetere potest: Idq; desertis verbis in *l. soluto matrimonio. §. quod si in patris. D. soluto matrim.* asseritur.

## LEX VIII.

*In copulandis nuptiis nec curatoris (qui solam rei familiaris sustinet administrationem) nec cognatorum vel adfinium vlla auctoritas potest interuenire: sed spectanda est eius voluntas de cuius cognatione tractatur.*

Hæc



**H**AEC l. nullam difficultatem habet, & ait curatoris consensu in contrahendis nuptijs pupillæ non esse opus. Ratio dubitandi est, quia Curator & tutor sæpius in iure pro eodē accipiuntur. Cum autem tutoris consensus requiratur, *l. Si patrem. D. de sponsalib. & l. cum in una. § tutor. & l. sciendum. D. l. appellationib.* merito etiam curatoris consensum necessarium esse. Ratio tamen decidendi est, quia curator solam pupillæ suæ rei familiaris sustineat administrationem hac l. nostra. Nec obstat dubitandi ratio. Licet enim interdum eadē curatoris sit significatio, quæ tutoris, ea tamen saltim ad bonorum administrationem, non etiam ad pupillæ curam referenda est. Datur enim tutor Personæ, curator verò bonis. Addit: Nec cognatorum vel adfinium vlla auctoritas potest interuenire. Ratio quia parentum consensus saltim honestatis, non etiam necessitatis causâ desideratur: vt, cum cognati & adfines sint remotiores gradu,  
merito

merito negligi possint. Verū in contrariā partem illud adferri potest, quod si de eligendo futuro marito disputatio oriatur, Præsidis arbitrium necessarium sit. *l. i. supra hoc tit.* Vnde infertur, si Præsidis arbitrium requiritur, multò magis cognatorum & adfinium consensum adhibendum esse. Sed respondeo, in d. l. i. disputationem inter tutorem & matrem esse ortam, & propterea arbitrium siue cognitionem Præsidis necessariam fuisse. Atqui in hac l. illa, de cuius coniunctione tractatur, nec matrem nec tutorem, sed tantum curatorem habuit. Diximus autem Curatorem tantum rebus esse datum, & idcirco in copulandis nuptijs ipsius auctoritatem eò minus interuenire debere, cum aliud de tutore leges statu-  
ant. *d. l. cum in una. & l. sciendum. D. de Appellationib.*

## LEX IX.

*Si, vicinis vel aliis scientibus,  
uxorem liberorum procreando-  
rum*

rum causa domi habuisti, & ex  
eo matrimonio filia suscepta est:  
quamvis neq; nuptiales tabulae,  
neq; adnatã filiã pertinentes fa-  
ctæ sunt: non ideo minus veritas  
matrimonii aut susceptæ filiæ su-  
am habet potestatem.

**M** Aurelius Valerius Probus Sir-  
mij in Pannonia natus, Vir pa-  
cis belliq; artibus longè clarif-  
simus Anno Christi ccxxIc. ab vrbe verò  
condita clo xxIx. regnare coepit, & an-  
nos quinq; ac menses quatuor Imperiũ  
administrauit. Tyrannos omnes sustulit,  
& pacem vniuerso terrarũ orbi restituit.  
Eius constitutionũ quatuor tantũ in Co-  
dicem tralatę sunt, quarũ tres diē & con-  
sules continent, hæc autē sola vtroq; ca-  
rent. Agit autem de veritate & probatio-  
ne matrimonij. Ait enim, si quis in domo  
sua vxorẽ habeat, & ex ea filiã suscepit,  
verum id esse matrimoniũ, veramq; filiã.  
Ratio dubitandi erat, quia nullis nuptia-  
libus & ad natam filiã pertinentibus ta-

bula

bulis factis, vxor in domo habita erat, hac  
l. nostra. Ratio tamē decidendi fuit, quia  
matrimonium nõ per tabulas probetur,  
sed per scientiam vicinorum aut aliorũ  
hominum. ead. l. Vbi tamen inter vxorẽ  
& concubinam notanda est differentia.  
Si enim concubinæ loco quis aliquam  
habeat, ex ea suscepta filia tantum natu-  
ralis erit, cum ex vxore domi retenta filia  
nata legitima sit. *l. in conc. nat. D. de concub.*  
Queri potest, si filiã eiusmodi ex vxore do-  
mi retentã susceptã maritus suam dixerit,  
sufficiensne illa sit probatio? Ex hac l. id  
defendi non potest. Ait quidē, vicinorũ  
& aliorum scientiam requiri, ne matri-  
monii veritas & probatio reiiciatur. Hinc  
Iurisconsultus Paulus *in l. Lucius 83.* tra-  
dit: si parens filium sub ea conditione in-  
stituerit, quod si iudici se suũ filium esse  
probauerit, totam eius hereditatem ca-  
pere debeat, filium non sub ea conditio-  
ne, quæ in potestate ipsius est, institutum  
esse. Ratio est, quia nunquã pater de filio  
certus esse potest, cum illius certitudo sal-  
tim penes matrem sit. *d. l. Lucius.*

*Cum te non ex senatore patre procreatam sed ob matrimonium cum senatore contractum Clarissima femina nomen adeptam dicas: claritas qua beneficio mariti tibi parata est, si secundi ordinis virum postea sortita es: redacta ad prioris dignitatis statum, deposita est.*

**F**A Eminæ nuptæ Clarissimis personis clarissimarum personarum appellatione continentur. Clarissimarum feminarum nomine senatorum filia nisi quæ viros Clarissimos sortita sunt, non habentur. Fæminis enim dignitatem clarissimam mariti tribuunt, Parentes verò, donec Plebeijs nuptijs fuerint copulatae. *l. femina 8. D. de senat.* Ait ergò, si non ex senatore nata filia senatori nubat, illam quoq; clarissimam effici, & tandiu claritatem obtinere, quandiu

quandiu senator viuat. Post obitum verò ipsius, si plebeio se rursus nuptui det, eam claritatem deponere. Ratio dubitandi est, quia semel facta ingenua siue clarissima semper in eodem statu & ordine constituta maneat. *l. si hereditas 48. D. de statu libert.* Ratio tamen decidendi modò à nobis adducta, hæc est, quia dignitas à maritis fæminis tribuatur, non etiam à fæminis maritis. *d. l. femina.* Hinc Ulpian. in *l. si quis pro uxore. D. de donationib. inter vir. & vxor.* Vxores virorum causâ ad maritos iter facere & venire, dicit. Et idem in *l. alia causâ. D. solut. matri.* reuerentiam maritis ab vxoribus exhibendam esse, tradit. Obstat *l. vlt. D. de senatorib.* in qua vxor, etiamsi, viro consulari defuncto, plebeio nupserit, nihilominus in priori dignitate manere dicitur. Illud responderetur. Ibi ex speciali gratia ab Imperatore impetrata, pristinam dignitatem retineri: at hîc nulla gratiâ petita, multò minus obtenta est. Insuper gratia illa perrarò concedi solet, vt ad



consequentiam trahenda non sit. Denique Princeps consobrinæ suæ eam indulget, ut planè hoc speciale sit priuilegium, *d. l. ult.*

## LEX XI.

*Si inuita detinetur uxor tua à parentibus suis: interpellatus Rector Prouinciæ amicus noster, exhibita muliere, uoluntatem eius secutus, desiderio tuo medebitur.*

**H**Æc constitutio ab Impp: Caio Aurelio Valerio Diocletiano Iouio Dalmata, & C. Aurelio Valerio Maximiano, ut & præcedens, & sequentes sex leges, facta est. Fuit autem Diocletianus obscuris parentibus ex oppido Dioclea ortus, & ab exercitu Imperator dictus, qui tamen in Christianos ultra modum sæuijt. Hic, anno Imperii secundo Maximianum in consortium su-

um

um assumpsit. Sententia legis est, uxorem si à patre detineatur, à genero rectè repeti, & Rectore prouinciæ interpellato, ab eodem, si pater nolit, eam exhibendam esse. Ratio dubitandi est, quia etiam stante matrimonio filia potestati patriæ subiecta sit. *l. si uxorem 5. D. de usur. & fruct. legat. l. filia licet. C. de collationib.* Ratio tamen decidendi est, quia marito operas suas iam locarit, & ideo eidem eas ex contractu præstare teneatur. *d. l. si uxorem, & l. in eo iure. D. de rit. nupt.* Non obstat dubitandi ratio. Licet enim pater filiam in potestate habeat, si tamen illam marito desponsauit, de ea exhibenda & deducenda, etiam si patria potestate nondum egressa fuerit, à marito rectè conuenitur. *l. immò. 2. D. de liber. exhib.* Et si pater filiam exhibere recusa-uerit, interdictum de exhibendis deducendis liberis utriusque & filia & marito siue genero competit, & si illud instituerit, Rector prouinciæ aditus suam illis accommodare debet notionem:

C 4 l. si

*l. si ad instar. 3. C. de liber. exhibend.* Ratio est ne bene concordantia matrimonia iure patriæ potestatis turbentur, neue parentes patriam potestatem acerbius exercent. *l. 1. §. ult. D. d. tit. de liber. exhibend.*

## LEX XII.

*Ne filium quidem familias inuitum ad uxorem ducendam cogi, legum disciplina permittit. Igitur, sicut desideras, obseruatis iuris præceptis, sociare coniugio tuo quam uolueris, non impedieris: ita tamen ut contrahendis nuptiis patris tui consensus accedat.*

**P**arentes liberos, quos in potestate habent, ducere uxores vel nubere prohibere non possunt, & si iniuriã prohibuerint, aut dotem dare noluerint, vel aliã conditionem illis non quæsiuerint, per proconsules &

Pra-

Præsides eos in matrimonium collocare & dotare coërcentur. *l. capite. 19. D. de rit. nupt.* Cogere tamen liberos non possunt, ut inuiti uxores ducant. *l. non cogitur 21. D. d. tit.* Et si, patre cogente, filius ducit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, maluisse hoc videtur. *l. si patre. D. eod.* Ratio dubitandi est, quia temper in coniunctione liberorum in sacris positorum patris expectandum arbitrium. *l. in coniunctione. infra hoc tit.* & matrimonium sine consensu parentis contractum ipso iure nullum sit. *l. filius familias. D. de rit. nupt.* Ratio tamen decidendi hæc reddi potest, quia æquè contrahentium atq; parentum voluntas & consensus necessarius est. *d. l. in coniunctione. infra, hoc tit.* Coacta autem voluntas nulla sit voluntas. *l. sed hoc ita. D. de aqua & aqua plur.* Nec obstat dubitandi ratio. Nam ut sæpius diximus, consensus parentum honestatis, potius quàm necessitatis causã requiritur, cum honor & obsequium parenti-

C S bus

bus natura debeat. *l. 1. D. de iust. & iur. Tradidimus, cogi parentes ad elocandos liberos in matrimonium. Ratio ne vitā turpem eligant, aut in corpus suum peccent. Nouell. constitut. 115. §. sed si filia. Legitimam igitur filia ætatem & annorum modum habente, eam pater marito coniungere debet, aut si distulerit, ipsa sine parentis consensu, nubere. & hoc ad ingritudinem filia imputari, & ea propterea à patre exheredari non potest. d. §. sed si filia. Ratio quia non sua, sed parentum culpâ hoc factum sit.*

## LEX XIII.

*Neq; sine nuptiis Instrumenta facta ad probationem matrimonii sunt idonea, diuersum veritate continente: neq; non interpositis instrumentis, iur. contractum matrimonium irritum est: cum omiſſa quoq; scriptura, cetera nuptiarum indicia non sunt irrita.* Du.

**D**Vplex huius l. est sententia. Prior, quod sine nuptiis instrumenta facta ad probationem matrimonij non sint idonea. Posterior, contractum matrimonium etiam sine scriptura consistat. Ratio dubitativa est, quia semper stetur instrumento, donec contrarium probetur, *l. cum precibus. C. de probation. & pro instrumento semper militet præsumptio. Nouell. constitut. de fide instrument. §. si vero moriantur.* Ratio vero decidendi est, quia semper plus valet veritas, quam scriptura. *l. 1. C. plus valet, quod agi. l. cum propria, C. si quis alteri vel sibi. l. distrabente C. de rebus alien. non alienand. l. 2. C. de emancipat. l. non ignorans. C. de donationib. & l. qui agnitis. D. de Exception. Et hinc fit, quod contrarij probatio admittatur, quâ factâ, plus rei gestæ quam scripturæ creditur. d. l. cum precib.* Non impugnat hanc decisionē dubitandi ratio. iam enim ad eam responsum est, quod instrumentū tam diu valeat quā diu contrariū contigisse probatū non fuerit. Veritas enim rerū gestarū erroribus non



bus natura debeat. *l. 1. D. de iust. & iur.*  
 Tradidimus, cogi parentes ad elocandos  
 liberos in matrimonium. Ratio ne vitā  
 turpem eligant, aut in corpus suum pec-  
 cent. *Novell. constitut. 115. §. sed si filia.* Le-  
 gitimam igitur filia ætatem & annorum  
 modum habente, eam pater marito con-  
 iungere debet, aut si distulerit, ipsa sine  
 parentis consensu, nubere. & hoc ad in-  
 gratitudinem filia imputari, & ea pro-  
 pterea à patre exheredari non potest. *d. §.*  
*sed si filia.* Ratio quia non sua, sed paren-  
 tum culpâ hoc factum sit.

## LEX XIII.

*Neq; sine nuptiis Instrumen-  
 ta facta ad probationem matri-  
 monii sunt idonea, diuersum ve-  
 ritate continente: neq; non in-  
 terpositis instrumentis, iuri  
 contractum matrimonium ir-  
 ritum est: cum omiſſa quoq; scri-  
 ptura, cetera nuptiarum indi-  
 cia non sunt irrita.* Du.

**D**Vplex huius l. est sententia. Pri-  
 or, quod sine nuptiis instru-  
 menta facta ad probationem  
 matrimonij non sint idonea. Posterior,  
 contractum matrimonium etiam sine  
 scriptura consistat. Ratio dubitativa est,  
 quia semper stetur instrumento, donec  
 contrarium probetur, *l. cum precibus. C. de  
 probation. & pro instrumento semper mi-  
 litet præsumptio. Novell. constitut. de fide  
 instrument. §. si vero moriantur.* Ratio ve-  
 ro decidendi est, quia semper plus valet  
 veritas, quam scriptura. *l. 1. C. plus valet,  
 quod agi. l. cum propria, C. si quis alteri vel  
 sibi. l. distrahente C. de rebus alien. non alie-  
 nand. l. 2. C. de emancipat. l. non ignorans.  
 C. de donationib. & l. qui agnitis. D. de Exce-  
 ption.* Et hinc fit, quod contrarij proba-  
 tio admittatur, quâ factâ, plus rei gestæ  
 quam scripturæ creditur. *d. l. cum precib.*  
 Non impugnat hanc decisionē dubitan-  
 di ratio. Iam enim ad eam responsum est,  
 quod instrumentū tamdiu valeat quan-  
 diu contrariū contigisse probatū non fu-  
 erit. Veritas enim rerū gestarū erroribus  
 non

non vitiatur. *l. illicitas. §. veritas. D. de offic. Praesid.* Ratio posterioris sententiae dubitationem habens, est, quia instrumenta ideò conficiantur, vt quod actum est, eò facilius per illa probari possit. *l. iure hypothecae, 3. D. de fide instrument.* Ratio decidendi, quia matrimonium non ratione instrumentorum aut tabularum, sed potius propter affectum coniugalem contrahitur, & vt Impp. in nostra *l.* aiunt, etiam omisâ scriptura cætera nuptiarum indicia non sunt irrita. Quod autem in hac *l.* Impp. statuunt, idem confirmat Imp. Iustinianus in *l. iubemus. C. de repudiis*, in qua iubet, vt quicumq; mulierem cum voluntate parentum, aut si parentes non habuerit, sua voluntate maritali adfectione in matrimonium acceperit; etiam si dotalia instrumenta non intercesserint, nec des data fuerit, tanquam si cum instrumentis dotalibus tale matrimonium processisset, firmum eorum coniugium habeatur. Ad dubitandi rationem respondeo, per instrumenta id quod

quod inter partes conuenit, probari quidem: sed etiam alia probationum genera existere, & matrimonium etiam sine tabulis per testes & publicam ad templū deductionem probari posse. *d. l. iubemus. C. de repud.*

## LEX XIV.

*Neq; ab initio matrimonium contrahere, neq; dissociatum reconciliare quisquam cogi potest. Vnde intelligis liberam facultatem contrahendi, atq; distrahendi matrimonii transferri ad necessitatem non oportere.*

**I** Vius *l. facti species in l. Titia. 134. D. de ver. obligat.* talis proponitur: quod nimirum Titia quæ ex alio filiam habebat, in matrimonium coiue- rat Gaio Seio habenti filiam: & tempore matrimonij consenserint; vt filia Gaij Seij filio Titij desponderetur. Et interpositum erat instrumentum, & adiecta poena,

poena, si quis eorum nuptijs impedimento fuisset. Postea Gaius Seius constante matrimonio diem suum obiit, & filia eius noluit nubere. Quæsitum est, an Gaij Seij heredes ex stipulatione teneantur. Respondit I. C. Paulus, ex stipulatione quæ proponeretur, cum non secundum bonos mores interposita sit, agenti doli mali exceptionem obtaturam: quia inhonestum visum sit vinculo poenæ matrimonia obstringi, siue futura siue iam contracta. Ratio dubitandi erat, quia stipulatio parentum intercesserat; stipulationes autem effectum suum sortiri, nec tam facilè rescindi debeant. *l. si ita quis. D. de verb. obligat.* Ratio autem decidendi, quia matrimonia debeant esse libera, nec facultatem contrahendi & distrahendi matrimonij transferri ad necessitatem deceat. Dubitandi ratio nō obstat. Intelligentia enim est de stipulationibus honestis & licitis, nō etiā de illicitis, qualis in nostra l. proponitur. Generaliter enim turpes stipulationes nullius momenti esse traditur. *l. non impossibile. D. de pact. l.*

*general. 26. l. seq. & l. flagitij. D. de verb. obliga.* Idq; Cicero *lib. 3. officior.* multis exemplis demonstrat. Repugnat *l. ea quæ 57. D. de diuortijs.* Vbi dicitur, pecuniam quam Titius Mæuiæ donauit, ex stipulatione proposita, si conditio repudij exstiterit, repeti posse. Sed respondet, ibi iam contractum matrimonium, & eo durante sub ea conditione pecunia promissa erat, si inter coniuges repudium fieret, quo facto, merito pecuniam deberi & peti posse Paulus respondit. At in nostra l. nondum erat contractum matrimonium, & nihilominus, si alterutra pars nollet illud consummare, poena eidem iniuncta. Quod autem addit, etiam si de dissolviendo matrimonio agatur, liberam debere esse facultatem, id eam habet rationem, quod quo modo quid colligatum est, eodem modo dissolui debeat. Et ideò vt contractus matrimonij liber esse debet: ita etiam dissolutionem, aut dissoluti matrimonij reconciliationem liberam esse conuenit,



*Vxorem libertam suam manumissori si non sit ex iis personis quæ specialiter prohibentur, ducere non est interdictum: Et ex eo matrimonio iustos patri filios nasci, certissimum est.*

**D** Vbitabatur de manumisso, an is libertam suam vxorem ducere posset? & rescribunt Imp. quo minus eam ducat, eum non prohiberi. Ratio dubitandi est, quia huiusmodi coniunctiones sint odiosæ & propterea in *l. libertum supra eod. tit.* merito dicantur prohiberi. Ratio decidendi, quia naturalis suadeat ratio vt benefactoribus nostris pareamus, & adfectus maior sit benefactoris erga beneficio adfectam quam erga alios. Non obstat dubitandi ratio, siquidem in *d. l. libertum* libertus cum patrona seu patroni filia aut coniuge, vel nepte siue pronepte matrimo-

matrimonium contrahere conabatur, quod propter reuerentiam & honorem talibus personis debitum, vt odiosum, merito iudex competens non concedit. In nostra *l. Manumissor ducit vxorem libertam*, qui ei nullum honorem debet, sed potius ab eadem dignum suo statu & conditione expectat. Restringunt tamen Imp. hanc *l.* hoc modo, vt quidem is libertam ducere vxorē possit, modo non sit eiusmodi persona, quæ eam ducere specialiter prohibeatur. Lege enim Iulia ita cauetur; qui senator est, quiue filius neposue ex filio, proneposue erit; ne quis eorum, sponsam vxoremue sciens, dolo malo habeto libertam. Verum hæc *l. per Nouell. constitut. Vt liberti de cetero. §. Si quis autem.* sublata est, in qua nulla dignitas prohibet cum liberta nuptias contrahi, dotalibus tantum instrumentis confectis. Ratio est, quia hodiè liberti ingenuorum ius adquisuerint, & eodem iure, quo illi, potiuntur. *d. Nouell. vt liberti.* Oportet tamen in contrahendis talibus

D nuptijs

nuptijs instrumenta dotalia confici, quod speciale est, nec cum superius explicata *l. neq. sine, hoc tit.* quæ planè generalis est, dissentit.

## LEX XVI.

*Patrem, qui filiam exposuit, hanc nunc adultam sumptibus & labore tuo factam, matrimonio cōiungi filio tuo desiderantis fauere voto conuenit, qui si renitatur: alimentorum solutioni in hoc solummodo casu parere debet.*

**R**atio dubitandi est, quia patri honor, reuerentia & obsequium debeat. *l. veluti. D. de iust. & iure.* Ratio verò decidendi, quippè pater in patronum filia, quam suis sumptibus aluit & educauit, eo ipso, quod in matrimonium cum filio suo contrahendum consentire noluerit ingratus fuerit & sumptus repetendi ipsi aniam præbue-

AD TIT. COD. DE NVPTIIS. SI  
erit. Non obstat *l. voluit.* Debent enim parentibus honor & obsequium, sed plus reuerentiæ Patrono debetur. Ratio, quia parens filiam exposuit, & nulla illi alimenta, quæ tamen debuit, *l. si quis. D. de adgnoscent. & alend. liber.* præstitit: patronus labore & sumptibus suis, donec adulta fieret, eam sustentauit. Aiunt autem iura, eum qui partum abijcit & alimenta denegat, eum necare videri. *l. necare. 4. D. d. tit. de adgnoscent. & alend. liber.* Est igitur huius *l.* sententia: Alimenta pietatis causâ filia data rectè repeti posse. Opponitur *l. si inuito. D. de infantibus, expositis.* vbi etiam non refusa alimentorum abstimatione partus expositus restituendus est. Sed respondendum, *L.* illam esse accipiendam de partu ancillæ vel adscriptitiæ inuito vel ignorante domino exposito. In hac *l.* parens ipse partum exposuit suæ vxoris, cui repetendi eum omnis adimitur potentia. Ratio est, quia quis suum dicere non possit, quæ pereuntē contēpserit & exposuerit. *l. unusquisq. C. de infan. expos.* Immo animaduersione quadripleci, tenatus

consulto de partu adgnosendo, in iisdē denunciata poena, præiudicio edicto perpetuo proposito & remedio alimenterum, dignus sit. *l. nec filium. C. de patr. potest.*

## LEX XVII.

*Nemini liceat contrahere matrimonium cū filia, nepte, vel pronepte, itemq; cum matre, auia vel proauia, & ex latere amita, ac matertera, sorore, sororis filia, & ex ea nepte: præterea fratris tui filia & ex ea nepte. Itemq; ex adfinibus priuigna, nouerca, nuru, socru, cæterisq; quæ iure antiquo prohibentur, à quibus cum eos volumus se abstinere.*

**R**ecensentur in hac l. personæ, inter quas matrimonium contrahi nequit. Eæ sunt, Filia, Neptis, Proneptis, Mater, Auia, Proauia, ex latere

latere amita ac matertera, soror, sororis filia, & ex ea neptis: fratris filia, & ex illa neptis. Ex adfinibus priuigna, nouerca, nurus, socrus & cæteræ quæ in Antiquo iure prohibentur. Ratio est, quia inuicem in parentum & liberorum numero sint, & contra bonos mores sit, ut inter illos matrimonia constituentur, qui incestum, contrahentes, committunt, grauioribusq; tam diuinis, quàm humanis, poenis coërcentur. *l. sororis. & l. nuptia. D. de rit. nupt.* De quibus incestis & inutilibus nuptijs toto sequenti titulo differitur.

## LEX XIX.

IMPP. VALENTIN.  
VALENS ET GRATIA-  
NVS AAA. AD SENATVM.

§ 50

*Vidua intra quintum & vicessimum annum degentes, etiam si emancipationis libertate gaudent,*



dent, tamen in secundas nuptias sine patris sententia non conueniant. Quod si in coniunctionis delectu mulieris voluntas patris repugnat sententia & propinquorum placet, quemadmodum in virginum coniunctionibus sancitum est, habendo examini auctoritatem quoque iudiciaria cognitionis adiungi: ut si pares sint genere ac moribus competitores: is potior existimetur, quem sibi consulens mulier approbauerit. Sed ne forte ii, qui gradu proximo ad viduarum successionem vocantur, etiam honestas nuptias impediant: si huius rei suspicio processerit, eorum volumus auctoritatem iudici-

dici-

diciumque succedere, ad quos, etiam si fatalis fors intercesserit, tamen hereditatis commodum peruenire non possit. Dat. XV II. Kalend. Augusti, Gratiano, A. II. & Probo Coss.

**A** Biliis, & quidem tribus Impp. Valentiniano Valente & Gratiano hæc l. promulgata est. Primus F. Valentinianus cum ob Christianæ fidei confessionem ordine motus & tribunatu scutariorum à Iuliano priuatus esset, eo mortuo non solum restitutus, sed & Iouiano successor in Imperio datus est. Fl. Valens vero cum Arrianæ impietatis assertorem strenuum ageret, à Gothis victus vna acie vitam amisit, & imperium. Fl. Gratianus Valentiniani Ambiani filius Princeps probitate & eruditione iuxta clarus sincerus Christianæ cultor fuit. Tulerunt autem hæc l. Gratiano & Sexto Petronio Probo Coss. ad quos consulatus anno ab vrbe condita clo cxxiv. & à nato Chr. secundum Contij compu-

tationem CCCLXXI. deuolutus est, Agit autem de viduarum matrimonio, quomodo mortuis maritis contrahi debeat, & an etiam illæ parentum consensum habere debeant? Et distinguitur triplici modo. Aut parentes superstites, aut iam defuncti sunt. Si superstites sunt, aut vidua vult intra quintum & vicesimum annum, aut eo elapso, ad secunda vota transilire. Aut parens elegit eundem, quem filia, aut alium maritum, ipsi displicentem. Si pater superstes est, etiam si viduæ emancipationis libertate gaudent, tamen in secundas nuptias sine patris sententia conuenire non potest. Ratio dubitandi est, quia iam emancipata sit, & eorum tantum liberorum, qui in potestate patria constituti sunt, consensus petitionem illos postulant. *l. capite. D. de rit. nupt.* Semel autem emancipatus, inuitus in patriam potestatem non redigitur. *l. ult. D. de his qui sui vel alien. sunt iur.* *Iacob. Cuiac. obseruat. lib. 10. cap. 23.* Ratio tamen decidendi publica honestas est.

Si

Si parens sententia petita, eundem maritum elegerit, quem vidua filia, nullum est dubium, quin maritus sit certus: ratio est consensus mutuus. Si vero in conventionis delectu mulieris voluntas, patris sententiæ repugnet, iudex cognoscere debet, an competitores pares sint genere & moribus, & is potior æstimandus est, quem sibi consulens mulier elegerit. Ratio dubitandi est, quia parentes melioris & acrioris iudicij nihil mali liberis suis consulere censeantur. *l. Aurelius. §. Titius testamento. D. de liberat. legata.* Ratio decidendi eadem, quæ ad huius *tit. l. 1.* adducta est, & quod vterq; contrahentium onera matrimonii sustinere cogatur, redditur. Quod si intra annum vicesimum quintum nubere cogitet, parentis consensu opus est. Ratio, quia nondum maior annis facta est, vt facilè, si patris consensu spreto, nubere velit, decipi possit. *l. 1. D. de minorib.* Si autem annos illos iam adimpleuerit, eo opus amplius non habet. Ratio, quia iam plenum iudicium

D 5 affe-

affectus semper melius eligere censeatur,  
*l. si quis missus. D. ne vis fiat ei, qui in possess.  
 missus erit.* Si pater defunctus fuerit, pro-  
 ximorum cognatorum iudicium, & au-  
 ctoritas interponenda est. Ratio dubi-  
 tandi, quia illi gradu remotiores sint, &  
 propterea eorum auctoritatem interue-  
 nire non necesse sit. *l. in copulandis, supra  
 hoc tit.* Ratio tamen decidendi; quia pa-  
 rentibus mortuis adgnati & cognati in  
 eorum locum succedant. *l. nuptiae. D. de  
 rit. nupt.* Adhibendi tamen sunt ij, ad  
 quos hereditas viduæ, etiam si fatalis fors  
 intercesserit, peruenire non possit. Ratio  
 dubitandi, quia magis proximiores quã  
 remotiores gradu respiciendi sint. *l. 10.  
 D. de gradib. & ad fin.* Ratio vero deci-  
 dendæ est, ne ob spem successionis proxi-  
 miores nuptias impediant, *Novell. Con-  
 stituti. de equali. doti. & propter nupti.  
 donation. §. aliud, versicu. sed iam.* Cum  
 suspicio magna sit, eos potius in rem  
 suam, quam viduæ consulturos. *l. v.  
 trum. 2. C. ubi pupilli educ. deb.*

LEX

LEX XIX.

IMPP. ARCAD. ET  
 HONOR. AA. EPTYCHI-  
 ANO P. P.

*Celebrandis inter consobri-  
 nos matrimoniis licentia legis  
 huius salubritate indulta est: ut  
 reuocata prisca iuris auctorita-  
 te restinctisq; calumniarum fo-  
 mentis, matrimonium inter con-  
 sobrinos habeatur legitimum,  
 siue ex duobus fratribus; siue ex  
 duabus sororibus, siue ex fratre  
 & sorore nati sunt: & ex eo ma-  
 trimonio editi, legitimi, & suis  
 patribus successores habeantur.  
 Dat. VI. Id. D. Constantinopo-  
 li, Arcadio III. & Honorio  
 III. AA. Coss.*

Ait



**A**IT, inter consobrinos quoq; hodiè matrimonium consistere. Vocabulum Consobrini valdè amplè accipitur. Propriè tamen consobrini ij eæue sunt, qui quæue ex duabus sororibus propagantur. dicti consobrini quasi consororini *l. r. §. 4. & l. ult. §. eodem gradu. ff. de gradib. & ad finib. Iul. Paul. sententiar. lib. 4. tit. II.* Obtinuit tamen & patruelles quoq; fratres, id est, ex fratribus natos & amitinos, id est, ex fratre & sorore genitos, communi consobrinorum nomine adpellari. *d. l. ult. §. eod. gradu.* Cum autem causæ matrimoniales sint spirituales, & ad Ecclesiasticum forum ac iudicem pertineant, à quo hæc l. penitus sublata est, non diuinius eius explicatione immorabimur, sed lectorem ad ius Canonicum & quidem *cum igitur. 32. quest. r.* remitemus. Vt autem obiter aliquid de eius laboribus dicamus, illam Impp. Arcadius & Honorius, filij Fl. Theodosij, qui vnico saltim anno solus Orienti præfuit, sanciuere; inter quos

ter quos Arcadius in oriente, Honorius vero in occidente gubernauit. Data quidem sine die: Coss. tamen nomina, nempe Fl. Stilliconis II. & Anthemij, qui ab V. C. Anno cl. CLIX. A Christo autem nato CCCC V. consulatum gesserunt, compræhendit, ex quo facile colligitur hoc anno legem hanc factam & promulgaram esse.

## LEX XX.

HONORIVS ET THEODOS. AA. AD THEODORVM PRAEFECTVM PRAETORIO.



*In coniunctione filiarum in sacris positarum patris expectetur arbitrium: sed si sui iuris puella sit intra quintum & vicesimum annum constituta: ipsius quoq; ad sensus exploretur, si patris auxilio destituta: matris*

Et propinquorum, Et ipsius quoque requiratur adultæ iudicium. Si vero utroque orbata parente, sub curatoris defensione constituta sit, Et inter honestos competitors matrimonii oriatur forte certamen: ut quaratur, cui potissimum puella iungenda sit: si puella cultu verecundiam propriam noluerit depromere voluntatem coram positis propinquis, iudici deliberare permissum est; cui melius adultæ societur.

**H**Æc lex in aliquot capita distingui potest. Agitur præcipuè de consensu à filia petendo. Primum caput est, in coniunctione filiarum in sacris positarum, patris expectare debere arbitrium. Ratio supra ad l. 12. h.

iii.

ut allata est. Loquitur autem de filia in sacris posita, siue in potestate patria adhuc existente; De emancipata enim & ultra legitimam ætatem & annorum modum nubere prohibita, ad d. l. 12. & l. 18. differuimus, ita ut si sui juris puella est, sequentia l. verba de emancipata loquentia ad illarum legum interpretationem referenda sint. Secundum caput est. Patre defuncto, matris & propinquorum & ipsius quoque adultæ requiri iudicium. Ratio est, cum cognatio & adfinitas, tum honestas publica. Ait autem, iudicium ipsorum requiri, non etiam consensum. Consensus enim nuptias facit, non etiam iudicium, l. 66. D. de donat. int. vir. & uxor. cum iudicium saltem pro consilio & iusta animi nostri sententia accipiatur. l. 22. in fin. D. de adoption. l. 8. in fin. D. de vulgar. & pupill. substitut. l. 16. D. de legat. prestand. l. 6. in fin. D. de legat. 3. l. 13. D. de doli except. Tertium caput est si utroque parente orbata sub Curatoris defensione constituta sit, & cultu verecundia

cundia sibi maritum eligere nolit, iudicis deliberationi permittendum esse, cui eam melius sociandam putet. Ratio dubitandi est, quia penes ipsam stet, quem sibi placere visum, eligere velit. Continetur enim in hac & aliis praecedentibus legibus eius quoque ad sensum requiri, sed si alium quam pater velit, eligat, eum potiore aestimandum, quem filia adprobauerit. *l. viduae supra, h. tit.* Ratio tamen decidendi est. prima, quod verecundiae cultu mentem suam exprimere nolit: secunda quod alias iudicium proprium sit de dote & aliis in discrimen vocatis rebus cognoscere. *l. 27. §. ult. D. de rei vind.* Sed inquires, quare curator suam auctoritatem non interponit. Respondeo, Curatorem saltem bonis vel custodiendis vel distrahendis esse datum, non etiam personae, *l. 1. §. ult. D. de munerib. & honorib. l. 5. §. ult. D. de Carbon. Edict.* Lata est haec l. circa annum Christi nati ccccix. ab V. verò C. cl̄o cl̄xii. quo simul Honorius & Theodosius Iunior Imperatores egerunt.

LEX

AD TIT. COD. DE NVPTIIS. 65  
LEX XXI.

IMP. P. THEODOSI-  
VS ET VALENTINIAN.  
AA. BASSO PRAEFECTO  
PRAETORIO

§ §

*A caligato milite usque ad protectoris personam, sine aliqua solennitate matrimoniorum, liberam cum ingenuis duntaxat mulieribus contrahendi coniugii permittimus facultatem.*

**L**atores huius l. sunt Theodosius Iunior, vir pius, in bellicis tamen rebus parum versatus: & Valentinianus Tertius ex Constantio & Pladia amita natus, optimus & clementissimus Princeps. Quae & ipsa die & consule caret. Obtinuerunt autem Imperium Anno ab V. C. cl̄o cl̄xxix. à nato

E Chri.



Christo CCCCXXIX. sententia est, A caligato milite vsque ad protectorem matrimonia sine aliqua sollempnitate contrahi posse. Ratio est cum quia, dum gladijs, clypeis & thoracibus nituntur, ius addiscere nequeunt, & propterea ea nescire dicuntur. *l. Regula. 9. §. si filiusfamili. D. de iur. & fact. ignor.* tum quia praecipue atque vulneribus patriam parentesque saluent, ut merito à juris obseruatione sint liberi, & priuilegijs specialibus donentur. *l. Aduocati 14. D. de aduocat. diuersor. iudic.* Quæ tamen ita intelligenda sunt, si miles in expeditione fuerit. Vt enim non omni tempore licet militibus quoquo modo voluerint, vltimas suas voluntates componere, sed his solis, qui in expeditionibus occupati sunt, ita nec matrimonij sine sollempnitate contrahendi beneficium extra expeditionem constitutum militibus indulgetur. *l. ne quidam. 17. D. de testam. militis.* Dicitur autem Caligatus miles à tiliarum tegumento, quo crura solebant armare infimæ conditionis milites.

Is p

Is primo gradu fiebat, deinde sequentibus omnibus intermedijs gradibus decursis ad summum protectorum gradum euehebatur, quorum maxima erat prerogatiua adorare purpuram, ut ex notitia vtriusque Imperij & historijs Imperatorum sedidicisse, Antonius Contius ad hanc l. testatur. A caligato igitur vsque ad protectorem, id est, ab infimo vsque ad supremum militiæ gradum milites matrimonia sine sollempnitate contrahere possunt, duntaxat mulieres ingenuas duxerint.

## LEX XXII.

IIDEM AA. HIERIO  
PRAEFECTO PRAE-  
TORIO.

*Si donationum ante nuptias, vel dotis instrumenta defuerint pompa etiam, aliisque nuptiarum celebritas omittatur: nullus*

E 2 exi-

*existimet ob id deesse rectè aliàs  
inito matrimonio firmitatem:  
vel ex eo natis liberis iura posse  
legitimorum auferri, inter pa-  
res honestate personas nulla lege  
impediente consortium, quod i-  
psorum consensu atque amico-  
rum fide firmatur. Dat. X. Ka-  
lend. Mart. Constantinop. Feli-  
ce & Tauro Coss.*



Lim magnus erat nuptiarum ri-  
tus. Primum enim sperabantur  
nuptiæ, & puella sperata diceba-  
tur. *l. mulier. C. de sponsalib. & l. si legib. C.  
de Episcop. audient.* Posteaquam verò inter  
se sperati coniuges conuenissent, puella  
pacta: *l. 2. de sponsalib.* & denique cum  
sponsalia fierent, sponsa nominari inci-  
piebat. *l. 2. C. de sponsa.* Adhibebantur autè  
Proxenetæ, Auspices, Pronubi, Para-  
nymphi & alij qui partim essent conci-  
liato.

liatores, interpretes, internuncij, partim  
auspices peterent: reliqui quod conuen-  
tum erat, vt rectè fieret, tabulisq; man-  
daretur, curabant. *l. 2. D. de proxenetis.*  
Apud Auspices quoq; de dote menti-  
ones fiebant, vt maritus aliquid ab vxore  
ad sustinenda matrimonij onera habe-  
ret. *l. 7. D. de jur. dot.* idq; dos nominaba-  
tur. *l. cum multa. C. de donat. antenupti-  
as.* & ea vel dabatur vel dicebatur vel  
promittebatur. *l. sciendum. D. AEdilit. e-  
dict. & l. promittendo. D. de jur. dot.* Opor-  
tebat autem maritum doti pignus vel  
hypothecam subiungere. *l. 1. D. qui potior.  
in pign. hab.* quæ hypothecatio postea no-  
men donationis propter nuptias sortita  
est. *l. ex morte. C. de pact. conuent.* Fiebant  
autem sponsalia vel inter præsentés vel  
inter absentes. & solebant arrhæ quædam  
interuenire, quæ à sponso sponsæ in testi-  
monium & pignus futurarum nuptia-  
rum dabantur, quas plerunq; sequebatur  
& accedebat osculum, quod religionis  
erat. *l. si à sponsa. C. de donat. ant. nuptias.*

Sponsalibus celebratis dies nuptijs dicebatur: non quidem vnus sed tres, quorū primo sponsus sponsam apud eius patrē visitabat, & hic dies erat ciuilis & incipiebat à media nocte. *l. more. D. de feriis.* Nocte vero & sequente die apud socerū manebat & pernoctabat non sponsa conditione vsus, sed in separato conclauī collocatus. Luce itaq; oriente circa primam aut secundam horam diei sponsa patris domo egrediebatur, & hæc proprie nuptiarum dies dicta erat, & sponsa in ædibus sponsi pernoctabat, & sponsus maritus fiebat, sponsa sparsis capillis, senisq; crinibus ornabatur, corona de floribus herbisq;, & gemmis flammeoque tegebatur, veste lanea induebatur, cinguloque præcingebatur, quod erat factum ex lana ouis. Herculeanoque nodo vinciebatur, quem soluere maritus tenebatur, vt in prouerbum abiit, Zonam virginem soluisse, quæ viri coitum admiserat. Erat etiam velata, & domo egressa ducebatur à matre,

paren-

parentibus & consanguineis. Vehabatur autē, vel pedibus iter faciebat, quam Tibicines præcedebant, & alius qui Talassum inuocabat: Tertius quoque, qui facem præferibat ex spina alba confectam, quam puer ingenuus ferebat. Vtebantur etiam quinque facibus cereis. Præferiebatur quoque vas quoddam, in quo sponsi utensilia comprehendebantur, & colus onusta lana, vxoris officium denotans. Nupta ad domum sponsi in limine domus stantis, accedente, sponsus eam ad se vocabat & virgines canere incipiebant: Hymen ô hymenæe. Ante ianuam mariti quærebat, tur quænam esset, & si respondisset se Caiam esse, omnes alta voce clamabant: Caia Cæcili, marito interim clamante, Cai Cæcilia. Ab adstantibus ridicula quædam solebant recitari disteria. Sponsus ante nuptias debebat tonderi, & cum in eius domum sponsa peruenisset, postes domus inueniebat ornatas laneis vittis & oleo

E 4 vnctas,



vnctas, Aquam & ignem in limine positum vterq; tangebatur, quasi eo foedere & mutuo sexu forent copulati. In limine domus ingressura solebat obstinata stare ad ostendendum se inuitam duci ad eum locum, in quo virginitatem suam perdere deberet. Deinde rapi solebat fax nuptialis, qua prælucente noua nupta deducta fuerat ab amicis, ne comburetur ab alterutro sponsorum, & mors alterius captaretur, postea sponsa matri tradebatur, aut alicui ex proximis agnatis. Ingressa domum statim vxor, & sponsus Maritus dicebantur. *l. cum te. C. de donation. ante nupt. l. genera. D. de rit. nupt.* Sic ducta vxore disputatio oriebatur, quo jure eam maritus acciperet. Romani enim tribus modis vxores habebant: Farre, coemptione & usu. Farre, cum mulier certis verbis, & decem testibus præsentibus solennique sacrificio facto, in quo panis farreus adhibebatur, mulier in manum viri conueniebat. *Ulp. tit. 9. Regul.* Coemptione, quando vir, an

sibi

sibi materfamilias esse velle, quærebat, vxor se velle respondebat, & vice versa; hæque nuptiæ dicebantur fieri per coemptionem. Usu, quando ita collocabatur viro vxor, vt nullum ius præter usum in eam haberet, quæ tamen longè à prioribus differebat, cum illæ matresfamilias essent, & quod transiissent in potestatem & familiam mariti, ei loco filiarum haberentur, hæc vero tantum ad usum & liberorum quærendorum causa ducta esset. Vxoris titulum sponsa nactâ & in domum ingressa, tota dies in nuptiarum sacrificijs, conuiujs & saltationibus transigebatur. Primum autem porca immolabatur, vt ager mulieris esset fertilior. Deinde celebrabantur sacra Nyctelia, de quibus latius N. Hottomannus in lib. obseruationum ad veterum ritum nuptiarum pertinentium. Hi autem ritus in hac lege planè tolluntur & pompa omnis aliaque nuptiarum celebritas omissenda censetur. Ratio est, quia non ritus, pompa & solennia, sed consensus

E 5 vtri-

vtriusq; ducentis & nubentis sunt matri-  
 monij substantia, quod consensus con-  
 trahentium atq; amicorum fides firma-  
 re hac in l. dicitur. Licet autem Franci-  
 scus Hotomannus in *question. illustri. cap.*  
*25.* hanc legem multis rationibus impu-  
 gnet, & omnes solemnitates adhiberi  
 necesse esse grauissimè defendat, hac ta-  
 men l. expressè eius sententia refellitur,  
 quæ tamen etiam ita defendi potest,  
 quod moribus quidem nostris quædam  
 ceremoniæ introductæ sint, l. *consuetudo.*  
*D. de. legib.* Quæ tamen etiam diuersæ  
 sunt, vt nihil certi de illis statui possit,  
 sed potius ad cuiusvis loci obseruationes,  
 statuta, reformationes, & ordinationes,  
 si certa sententia de ijs ferri debeat, re-  
 currendū sit. Nostra vero in l. omnes il-  
 læ ceremoniæ & pōpa, vt dixi sublata est.

## LEX XXIII.

*Imperialis beneuolentia pro-*  
*prium hoc esse iudicantes, vt*  
*omni tempore subiectorum com-*  
*moda tam inuestigare, quam*  
*eis mederi procuremus: lapsus*

*quoq; mulierum, per quos indi-*  
*gnam honore conuersationem*  
*imbecillitate sexus elegerint, cō-*  
*petenti moderatione subleuādos*  
*esse censemus, minimeq; eis spem*  
*melioris conditionis adimere: vt*  
*ad eam respicientes, improvidā*  
*et minus honestā electionem fa-*  
*cilius derelinquant. Nam ita cre-*  
*dimus DE I beneuolentiam, et*  
*circa genus humanū nimiam cle-*  
*mentiam (quantum nostra natu-*  
*ra possibile est) imitari, qui quo-*  
*tidianis hominū peccatis semper*  
*ignoscere dignatur, et pœnitentiā*  
*suscipere nostram et ad meliorē*  
*eam statū deducere. Quod si cir-*  
*ca nostro subiectos Imperio nos*  
*etiam facere differamus: nulla*  
*venia digni esse videbimur, etc.*

Propter

**P**ropter l. prolixitatem nimiam ea tota adscripta non est. Fuit autem Imperator Iustinianus huius legislator, Iustini Imperatoris ex sorore nepos, eiusdemque filius adoptiuus, primus auctor comparandi Iuris & Nouellarum Constitutionum, de quo multi Iurisconsulti & Historici plurimum scripsere; Eius vita autem in præfatione commentariorum Francisci Hotomanni ad institution. Iuris plenius descripta extat, & à nobis alibi forte recensabitur. Est autem hæc l. nimis prolixa, at valde explicatu facilis. Testatur Seneca, nullam ex omnibus virtutibus magis principi conuenire, quam elementiam, cum illa nulla sit humanior. Hanc sanè Imperator Iustinianus etiam ob oculos habens, misericordia motus, lapsus quosdam mulierum, per quos indignam honore conuersationem imbecillitate sexus elegerint, competenti moderatione subleuandos esse censet. *§. Imperialis beneuolentia.* Ratio dubitandi est, quia delicta

non

non debeant impunita ferri. Ratio tamen decidendi, primum sexus muliebris imbecillitas: secundo, misericordia & clementia Principis, ab ipso diuino Numine mutuata. Nam, ut ait Imp. Si Deus cottidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem statum eam reducere, nos quoque eius beneuolentiam & circa genus humanum nimiam clementiam imitari debere censemus. & nisi circa nostro subiectos Imperio nos etiam facere differemus: nulla venia digni esse videbimur. Addit scænicas & qui in loco turpi vixerunt mulieres, si resipuerint, posse impetrare, vt liberum sit illis matrimonium contrahere, quo facto, eas ad pristinum statum reduci, nomen scænicarum mulierum deponere & ex ijs natos liberos legitimos esse. *§. presente sanctione.* Matrimonij contractus illis conceditur ex gratia & speciali priuilegio. Ratio dubitandi est, quia semel malæ fuerint, & vitam



& vitam turpem egerint, atque se macula adsperserint, quæ tam facile tolli non possit. *l. semel. De reg. iur. in 6.* Ratio tamen decidendi, quia resipuerint. Resipiscencia autem omnia præcedentia vitia tollantur, insuper magnus matrimonij sit favor. *supra adductis ll.* Quid si iurauerint in tali professione se perseveraturos? Respondetur, Nihilominus illis prospiciendum; quod cum prædictis pugnat. Vult enim Imp. vt saltim resipisceres gratia illa gaudeant. Hæc erit solutio quod iuramentum illud sit contra bonos mores. Legibus autem expressum est, illicitæ rei iusiurandum seruari non oportere: & poenam per iurij in eum conuertendam esse, qui exigit. *Novell. constitut. scenicas, non solum si fideiussor. §. quod ei permittitur.* Reducuntur ad pristinum statum & nomen scenicarum mulierum amittant, quia per matrimonium subsequens omnis macula præcedens tollatur. *§. ult. inst. de nupt.* Liberi quoque eorum efficiuntur legitimi, & patri sui heredes.

cui

cui succedunt in omnibus bonis. Ratio quia ex legitimo & ab Imp. concessio matrimonio nati sunt, & propterea iisdem, quibus alij naturales liberi privilegijs gaudent. Possunt tamen eiusmodi scenicæ mulieres etiam post rescriptum impetratum à matrimonio sese abstinere, modo vitam turpem deposuerint, & meliorem elegerint, nec tamen eorum lædetur existimatio. Ratio est vitæ emendatio, & à vitiorum maculis facta absolutio, quæ reuocari & retractari non debet. Possunt autem, si vitam cælibem eligere maluerint, totam suam substantiam, cui voluerint, donare vel legare. Ratio, quia quilibet rerum suarum moderator & arbiter, & cuilibet de suis bonis pro libitu testari placet, qui non expressè prohibetur, *iuxta tot. tit. qui fac. test. poss. imperatore alicui dignitatē conferente*, ea similis est mulieri scenicæ à macula absoluta. Similis vero ratio est, quia gratia Imperatoris potius extendenda & amplianda quam re-

strin-

stringenda sit. *l. cum quidam 19. D. de liber. & posthum.* Concessa enim dignitate, reliqua omnia ea impediencia simul sublata esse censentur, *l. 2. C. de dignitat. lib. 12.* Scenicæ mulieris filia post acceptum & impetratum rescriptum concepta, eodem quo mater, gaudet priuilegio nec Scenicæ filia adpellari potest. *§. his illud.* Ratio, quia tempus conceptionis inspiciendum sit, vt si filius consulis antequam consul pater factus est conceptus fuerit, is consulis filius dici non potest, reliquis, patre consulatum gerente, progenitis titulum filiorum consularium vsurpantibus. Idq; in alijs similibus quoque passim obseruatur. *l. Curialib. 66. C. de decurio. l. si tutoris. §. si iussu. D. quod iussu. l. de eo qui. D. ad l. Cornel. de fals. l. Titius. D. de militari testam. l. 2. §. in filiis. D. de decurionib. l. in delictis. D. de noxalib. actionib.* Legibus etiam antiquis cautum erat, ne matrimonia inter impares honestate personas sine dotalibus instrumentis contraherentur. Hæ omnes & singulae

in

in *§. Immo etiam.* tolluntur. Ratio est quia nec dos, nec instrumenta dotalia, sed solus consensus, matrimonium constituent, & matrimonium sine dote bene; dos sine matrimonio vero nullo modo consistere possit. *l. ult. C. de donationib. ante nuptias.*

## LEX XXIV.

## IDEM A. AD SENATVM.

*Sancimus si quis nuptiarum fecerit mentionem in qualicunque pacto. quod ad dandum vel ad faciendum, vel non dandum vel non faciendum concipitur, & siue tempus nuptiarum dixerit siue nuptias nominauerit: non aliter intelligi conditionem esse adimplendam, vel non extenuandam, nisi ipsa nuptiarum*

F rum

*rum accedat festiuitas: Et non esse tempus inspiciendum, in quo nuptiarum etas, vel feminis post duodecimum annum accesserit, vel maritis post quartum decimum annum completum: sic etenim Et antiqui iuris contentio dirimetur Et immensa librorum volumina ad mediocrem modum tandem peruenient.*

**I**N hac l. agitur de differentia nuptiarum & matrimonij. Definuntur autem Modestino Nuptiæ coniunctio maris & feminae, & consortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio. *l. i. D. de rit. nupt.* Iustinianus nuptias describit viri & mulieris coniunctionem, indiuiduam vitæ societatem continentem. *§. i. instit. de nupt.*

*nupt.* quæ tamen descriptio, potius ad Matrimonium quam ad nuptias refertur, cum I C C. plerunque non verborum proprietatem, sed animi destinationem exprimere soleant; & nihil aliud est matrimonium, quam indiuidua illa consuetudo viuendi, quæ ita à natura instituta est, vt non solum iucundissima, verum etiam vtilissima vitæ societas miretur. Tertullianus *lib. i. ad uxorem*, coniunctionem hanc viri & feminae, benedictam à Domino, vt generi humano, & replendo orbi & instruendo seculo excogitatam ait. Distinguantur autem aliquot in locis veluti *l. 10. Et l. 11. D. de rit. nupti. §. si aduersus ea, Institution. de nupt. §. quibus connumerari. Institution. de heredib. qua ab intest. Et Institut. de patr. potest.* Ait ergo mentione nuptiarum facta, non sufficere ætatem nubilem in ll. contrahere volentibus præscriptam, sed oportere matrimonium

F 2      recipia



re ipsa contrahi, & nuptiarum festiuitatem interuenire. Ratio dubitandi est, quia nuptias non concubitus sed consensus facit. *l. 15. D. de condition. & demonstrat. l. 31. D. de reg. iur. & alias dicitur, Matrimonium non coitum, sed maritalem adfectionem facere. l. 32. §. si mulier. D. de donat. inter vir. & uxor.* Ratio tamen decidendi est, quia matrimonium ferè dici non possit, nisi indiuidua illa cohabitandi consuetudo & indissolubilis societas interueniat. *d. §. 1. instit. de nupt.* Nec obstat dubitandi ratio. Debet enim semper consensus præcedere vt matrimonium contrahatur, quem tamen ipsam nuptiarum festiuitatem, hoc est, vtriusq; maris & femine coniunctionem & realem cohabitationem subsequi oportet. Obstat *l. si donationū. supra. hoc tit.* in qua omnia sollempnia nuptiarum sublata sunt. Respondeo, hîc non loquimur de matrimonij solemnitatibus, sed de eiusdem consummatione.

LEX

AD TIT. COD. DE NUPTIIS. 85  
LEX XXV.

IDEM A. IULIANO  
NO P. P.

*Si furiosi parentis liberi in cuius potestate constituti sunt, nuptias possint contrahere, apud veteres agitabatur. Et quidē filiam furiosi marito posse copulari, omnes pene iuris antiqui conditores admiserunt. Sufficere enim putauerunt, si pater non contradicat. In filio autem familias dubitabatur, & Vlpianus quidē retulit constitutionē Imperatoris Marci, qua de furioso non loquitur, sed generaliter de filiis mente capti: siue masculi siue femina sint, qui nuptias contrahunt: vt hoc facere possint etiam non adito principe.*

F 3 Et

Et aliam dubitationem ex hoc emergentem, si hoc quod de mente capto constitutio induxit, etiam in furiosis obtinendum sit, quasi exemplo mente capti & furiosi filios adiuvantes. His itaq; dubitatis, tales ambiguitates decedentes, sancimus hic repleri quod Diui Marci constitutioni deesse videtur, ut non solum dementis, sed etiam furiosi liberi cuiuscunq; sexus possint legitimas contrahere nuptias, tam dote quam ante nuptias donatione à Curatore eorum prestanda: estimatione tamen in hac regia urbe excellentissimi Praefecti urbis, in prouincijs autem virorum clarissimorum earum

earum Praesidum, vel locorum antistitum, tam opinione personae quam moderatione dotis. Et ante nuptias donationis constituenda: presentibus tam curatoribus dementis vel furiosi, quam iis qui ex genere eorum nobiliores sunt: ita tamen, ut nulla ex hac causa oriatur: vel in hac regia urbe, vel in prouincijs iactura substantiae furiosi vel mente capti: sed gratis omnia procedant, ne tale hominum infortunium, etiam expensarum detrimento prae grauetur.

**M**ente capti filios sine parentis consensu matrimonium constituere, & dotem donationemq; de bonis patris sine aliarum ex-

expensarum dispendio pro facultatibus  
& dignitatibus constituere posse expressi  
iuris est. *l. quæro. D. de iure dot. l. cum plures.*  
*§. ult. D. de administ. tut.* Cum autem nul-  
la liberorum furiosi mentio fieret, in fi-  
lios familias an non consensum adhibere  
debeat, dubitabatur. Et eam decidendo  
sancit Imp. hac l. non solum dementis,  
sed etiam furiosi liberos cuiuscunque se-  
xus, legitimas nuptias, tam dote quam  
ante nuptias donatione à Curatore pra-  
standa, præcedente moderatione, &  
Præfecti urbis moderatione constituen-  
da posse contrahere. Ratio dubitandi e-  
rat, quia constitut. Imp. Marci nullam  
mentionem furiosi faceret, sed tantum  
generaliter de mente capti liberis dispo-  
neret. Ratio tamen decidendi, quia me-  
te captus & furiosus sæpè in iure pro eo-  
dem habeantur, & ideo quod de mente  
capto constitutio induxisset, etiam in fu-  
riosis obtinendum sit, quasi exemplo  
mente capti furiosi quoq; filij adiuuandi  
essent. Quæ autem hac in l. traduntur,  
eadem

eadem superius in *l. tum dementis. de E-  
pisc. audient.* repetita sunt. Fauet autè Im-  
perator eiusmodi liberis, dum vult vt fu-  
riosis substantiæ vel bonorum iactura fi-  
at, sed gratis omnia procedant. Ratio  
dubitandi erat, quia parentes liberos su-  
os dotare teneantur. *l. i. §. & si. D. si quid  
in fraud. credit. l. 12. C. ad SC. Velleian. l. i. §. si  
sub conditione. D. de dot. collat. & opponun-  
tur in iure vxor dotata & indotata. l. 78.  
§. quod si. D. de iur. dot.* Ratio tamen deci-  
dendi est, quia adfecto non debet addi  
adfectio. *l. Diuus. D. de officio Præsid. &  
ne tale hominum infortunium, quod  
deplorandum est, etiam expensarum de-  
trimento prægrauetur. hac l. nostra in fin.*

## LEX XXVI.

## IDEM A. IVLIA-

NO. P. P.

*Si quis alumna suam liberta-  
te donauerit, & in matrimonio  
F 5 suo*



suo collocauerit: dubitabatur a-  
 pud antiquos utrumne huius-  
 modi nuptia legitima esse vide-  
 antur, an non. Nos itaq; vetu-  
 stam ambiguitatem decidentes  
 non esse vetitum matrimonium  
 censemus. Si enim ex adfectu o-  
 mnes introducuntur nuptia, &  
 nihil impium nec legibus contra-  
 rium in tali copula expectamus,  
 quare predictas nuptias inhibe-  
 das existimemus? Nec enim ho-  
 mo sic impius inuenitur, ut quã  
 ab initio loco filia habuit, eam  
 postea in suo collocet matrimo-  
 nio: sed ei credendum est, quia  
 eam & ab initio, non ut filiam e-  
 ducavit, & libertate donauit, &  
 dignã postea suo iudicauit ma-  
 trimonio. Ea videlicet persona  
 omni.

omnimodo ad nuptias venire  
 prohibenda, quam aliquis siue  
 alumna sit, siue non, à sacrosan-  
 cto suscepit baptisate: cum ni-  
 hil aliud sic inducere potest pa-  
 ternam affectionem & iustam  
 nuptiarum prohibitionem, quã  
 huiusmodi nexus per quẽ DEO  
 mediante, anima eorum copu-  
 lata sunt.

**R**ia hac in l. constituuntur. Pri-  
 mum est, quod Dominus alum-  
 nam suam vxorem ducere que-  
 at. Ratio dubitandi erat, quia loco filia  
 habeatur. Impium autem sit, ut quis eam  
 quam filiam prius agnouit, postea matri-  
 monio sibi iungat. *l. nemini liceat. supra,*  
*hoc tit.* cum eiusmodi matrimonium,  
 quo incestus committitur, planè sit in-  
 utile. Ratio tamen decidendi est, quia ex  
 adfectu hoc matrimonium profici-  
 scatur nec legibus contrarium sit. Nec  
 obstat

obstat dubitandi ratio. Intelligenda enim est de filia adoptiua, de qua paulo post dicetur. Nec ea, quam quis alit, filiae appellatione continetur, cum alumna ea sit, quam quis loco ancillae aluit, & postea manumisit, & dignam suo putauit matrimonio. *l. 16. §. 1. D. de his qui. ut indign. l. 1. §. qui domini. D. ad SC. Syllaniam. l. 62. D. ad SC. Trebell. l. 26. D. quando dies legator. l. 27. §. ult. l. 41. §. Seium. D. de legat. 3. & alia innumerabiles.* Secundum est, quod inter patrem & filiam adoptiuam nuptiae subsistere non possint, Ratio dubitandi, quia iam emancipata sit, & plane non tantum ex ipsius potestate, sed etiam familia exiuerit, ut peregrinae loco habeatur, argumento ducto à patre naturali, ad adoptiuum, cuius liberi emancipatione facta, etiam in aliam familiam nempe adoptantis transferuntur. *l. 2. D. de adoption.* Ratio tamen decidendi est, quia ut dixi, impium sit, ut quis eam ducat, quam loco filiae semel habere coeperit. *d. l. nemini liceat.* Nec obstat dubitandi

AD TIT. COD. DE NUPTIIS. 93  
tandi ratio. Quia ne naturalis quidem patris filia ab eodem duci vxor potest, ut argumentatio illa subsistere non possit. Tertium est, quod nemo eam possit ducere vxorem, quam è sacro baptismo suscepit. Ratio dubitandi est, quia sic à domo & familia sua aliena, imò interdum in alijs longè distantibus territoriis educata. Cum peregrina autem, ut & alia quæ nulla alicui consanguinitate vel adfinitate coniuncta est, nusquam in iure nuptias fieri prohibitum esse. Ratio vero decidendi, quia per hunc actum spiritualis quædam cognatio contrahatur, ita ut nihil aliud tantam paternam adfectionem & iustam nuptiarum prohibitionem, atque eiusmodi nexus per quem DEO mediante, animæ eorum copulatæ sunt inducere possit. *c. 1. de cognat. spirituali, lib. 6.* Dubitandi ratio non obstat. Licet enim naturalis filia dici non possit, spiritualis tamen efficitur, qui nexus longè est firmior & sanctior.

IDEM. A. IOAN-  
NI P. P.

*Sancimus nuptias, quæ inter masculos & feminas maiores, vel minores sexagenariis vel quinquagenariis lege Iulia, vel Papia prohibita sunt, homines volentes contrahere, ex nullo modo, nec ex ulla parte tales nuptias impediri.*

**H**Æc l. per se facilima est, nec eget longa explicatiōe. Ait enim hodiè etiam inter senes matrimonium contrahi posse, quod olim non concedebatur. Ratio dubitandi est, quia matrimonium liberorum procreandorum causa institutum sit, senes autem liberos procreare nō possint. Ratio tamē decidendi est, quia matrimonia debe-  
ant

ant esse libera, & proinde nemo ab eius contractu arceri. *l. Titia. 134. D. de verb. obligat.* Nec obstat dubitandi ratio, loquitur enim l. nostra, de eiusmodi senibus, qui adhuc coire & procreare possunt, non etiam de ijs, qui maleficiati aut frigidi sunt, quibus natura matrimonium inire prohibet, & licet ab illis contrahatur, per diuortium rescindi potest. *c. 2. extra de frigid. & maleficiat.*

## LEX XXVIII.

IDEM A. IOAN-  
NI P. P.

*Si libertam quis uxorem habeat, deindè inter Senatores scribatur dignitate illustratus, an solvatur matrimonium apud Vlpianum quærebatur quia lex Papia inter senatores & libertas stare connubia non pati-*



patitur. Nos igitur DEI sequentes iudicium, non patimur in uno eodemque connubio mariti felicitatem uxori fieri infortunium, ut quantum vir in altum tollatur, tantum et coniunx eius decrescat, imò magis penitus depereat. Absit itaque à nostro tempore huiusmodi asperitas, et firmum maneat matrimonium et uxor marito concrescat, et sentiat eius fulgorem, stabileque maneat matrimonium ex huiusmodi superuentu minimè diminutum. Simili modo si privati hominis filia ad liberti ueniat connubium et postea pater mulieris ad senatoris dignitatem fuerit elatus:

taceat

taceat Papiæ legis crudelissima sanctio, et neque per hunc modum dissoluatur matrimonium inter facti senatoris filiam et libertum, ne soceri prosperitas sine genero inueniatur; Melius enim est legis Papiæ in utroque casu seueritatem compescere, quam eam sequendo, hominum matrimonia dispergere, non ex vitio mulieris et mariti, sed ex prospera alterutrius partis fortuna, cum enim ex una radice vitium nascitur, consequens est, ut una lege tollatur.

**H**uius facti species est, quod maritus senator factus uxorem suam libertinam ob nouam dignitatem adeptam repudiare non possit. Ratio dubi-

G tandi

tandi est, quia l. Iulia cautum sit, ne inter senatorem & libertinam connubia stent, *l. lege Iulia. D. de rit. nupt.* Ratio autem decidendi est, quia in vno eodemque connubio felicitas mariti, vxori non esse debet infortuniū, & planè impiū sit, vt maritus in altum extollatur, & vxor penitus pereat, hac *l. ult.* Nam vt Impp. Arcad. & Honor. in *l. ult. D. de statu is & imagi.* rescribunt, virtutum præmia merentibus tribui conuenit, & aliorum honores alijs damnorum occasionem fieri non oportet. Et Martianus IC. ait, si cui vt libertolegatum fuerit, non idcirco legatum amitti, quia postea annulos ab Imp. acceperit, honorem enim eius auctum esse, non conditionem mutatam. *l. falsa 33. D. de condit. & demonstrat.* Non obstat dubitandi ratio, quia de senatore accipienda est, nondū vxorem habente. At nostra *l. de senatore*, qui antequam dignitatem senatoriam adipisceretur, libertinā duxit. Cum hac *l. concordat l. patre. D. de his qui sunt sui vel alien. iuris. l. si cum do-*  
*tem.*

*tem. §. an autem illa. D. soluto matrim.* Proponitur hac in *l.* & alius casus non longe tamen à priore distans, ita vt dubitandi & decidendi eadem sint rationes, & propterea longiori explicati-  
one vel deductione

opus non  
sit.

F I N I S.

